

biades, quæsiuit, quam ob causam fœminam tam intractabilem, intra domus suæ limen diutiùs pateretur? Cui in hanc sententiam respondit: Domi qualiter viuendum fit addisco, & vxoris iurgiis aduersus exteriorum arrogantiam armatus egredior. Ita quod sapientis est proprium, alienis vitiis sese meliorem faciebat. Hæc tanta Socraticæ sapientiæ fœlicitas, possessorem suum nec in fine destituit. Etenim furibundo patriæ consensu morti destinatus, cum oblatam veneni potionem, nec animo nec fronte commotus accepisset, & iam bibere inciperet, querelam ac gemitum memoratæ coniugis audiuit flebiliter iterantis: Innocentem virum mori, qua vociferatione conuersus, ac labiis à poculo tantisper amotis: Nunquid igitur ait, ô mulier, nocentem mori fœlicius iudicabis? Sic castigata vxore, ad id quod inceperat reuersus, mortem hausit intrepidus. Hactenus multa quidem de vno homine, sed pauca de Socrate.

PLATO.

CVius discipulus Plato, Malorum esseam voluptatem vocat: Præclarè atque vt ait Cicero diuinè. Sicut enim ha-

mus